



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Joannes Columbinus C. 31. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Heu quam sordet terra, cum calum aspicio! Hoc obtinuit anno M.D.LVI. vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesiæ bono. Nam sanctior juventutis educatio, reductæ ab exilio Musæ, proscriptæ hæreses, assertus DD. & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque Orbis, ille CHRISTO subactus, hic servatus, & quicquid in utroq; filii vel faciunt fortiter vel patiuntur, id omne IGNATII est opus. De Sodalitatibus VIRGINIS quid dicam? quisquæ ex his MARIAM Matrem clamas, rectè IGNATIVM patrem dices. *Ex vitâ.*

*O ingratiſſimum, ô duri cordis hominem, qui nondum intelligit, se ad labores perpetiendos, atque ad gloriam Domini Nostri Iesu Christi summo conatu quarendam & amplificandam longè maximè obligatum! Ex Epist. S.P. Ignatii de perfect. Religiosâ.*

## S. JOANNES COLUMBINUS C.

31. Iulii.

**O** Si Lector iis oculis vitam JOANNIS legeres, quibus ille Divorum legit! Et leges puto iisdem, si leges. Succensuit hic uxori cœnam seriùs apparanti. Illa, ut matrona erat præ aliis pia, jubet, dum famem rectiùs opsonet, oculos pascere legendis Divorum factis. Non erat hoc pro stomacho JOANNIS: abjicit librum. Mox tamen curiositate ductus tollit, legitque in quam primò oculis offendit Mariæ Ægyptiacæ vitam. Hic verò aliâ jam fame stimulari animus, & nauseare omnia terrena. Jam templa & preces amare, benè egenis facere, asseri incubare, castitatem cum conjugè colere, ædes in publicum peregrinorum stabulum vertere, denique ille nuper in pietate discipulus

vel

vel magistram conjugem superare. Et fortè leprâ horridum homuncionē domum portaverat, cuius nec aspectum conjunx ferre poterat. At JOANNES osculis etiam dignatus balneo recreatum in uxoris thalamo deposuit, eidemque, dum à sacris rediret, enixè commendavit. Interea dum hæc cubiculum petit, omnes odorum delicias obvias habet. Supervenit JOANNES cum bellariis, sed præter vestigia, nobiles, quos diximus, odores nihil reperit. Christus fuerat. JOANNES rebus omnibus abjectis pauperem etiam ipse induit, Societatemque condidit, quam Urbanus V. Pont. probavit, patrocinio infantrum inductus, qui matres suas, ut JESVATIS (ita is Ordo appellatur) benefacerent, monuerunt, tam magni oratores quam parvi fuerunt. *Ex Ferrar.*

*Habeamus hospitalitatis curam, non ut momentaneam solum retributionem accipiamus; sed ut reponamus nobis immortalium bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus, suscipiemus & nos Christum, & suscipiet etiam ipse nos in mansionibus, quas præparavit diligentibus se. S. Chrys. in Gen.*

AU.